

ÀVEU *degonis.*

§. 1.

**A**Ntequam de Confusione ipsa dicamus, necessarium videtur esse, ut inquiramus, *quænam illa prima fuerit Lingva, quam Deus ab initio mundi primo homini indidit, & quæ sola ante Confusionem Babylonicam viguit?* Unam enim tantum fuisse Lingvam, testatur ipsa Scriptura Gen. XI. i. *Job. Goropius Becanus Lingvam Cimbricam pro antiquissima & Protoplastorum in Paradiso vernacula vendicare voluit, cujus postmodum Hyperaspisten egit Levinus Torrentius. Rationes, quas adducit, nullius ferme momenti sunt. Dicit enim, voces aliarum Lingvarum ad hanc reduci posse, e. gr. בהמות ipsi est quasi Been-hot/ i. e. pecudum & inimicitiae caput, Noach Not-acht/ i. e. curans necessitatem, Nimrod Nims Brod i. e. raptor panis, &c. ergò hanc esse primævam. Verùm, omnes aliarum lingvarum voces ad hanc commodè referri, falsum esse, quis non videt? Quasdam quidem eam voces communes habere cum aliis, non negamus, sed non statim concludendum, omnes habere & per consequens, eam esse antiquissimam. Ejus farinae est, quod urget de simplicitate, quòd radices ejus lingvæ constant ex una syllaba. Nam non statim, quod simplicissimum, antiquissimum est. Et si id procederet, Chinaica vel Tschinaica lingua esset primæva, quæ omnia ferme vocabula habet monosyllabica. Vide plura de hac quæst. apud Pfeiff. *Disp. de Lingva Protopl. Assert. 5.* & *Barth. Mayerum Philol. Sacr. P. II. p. 351.**

§. 2. Volunt & suam *Phryges*, suam, teste Mar. Victorio Proæm. *Gramm. Æthiop. Abyssini*, suam *Chinenses*, suam *Arabes*, & qui non? in *πεωτογονίας* thronum collocare, ex inani jactantia, & quia sua cuique pulchra Phyllis est. Maximè tamen *Theodoretus* natione *Syrus & Cyri in Syria Episcopus, quæst. 12. in Genes.* Lingvæ *Syro-Chaldaeæ* istam vindicare gloriam conatus est; in cujus sententiam iverunt & alii, nempe *Maronita de monte Libano*, eosq; inter *Georgius Amira, Præfat. Gramm. Syr.* & præter hos *Job. Caspar Myricæus in Præfat. Gramm. suæ Syro-Chaldaeæ.* Sed prolixè satis illum

A 2

refu-